

DISPUTATIO

De

VOLUNTATE ET
POTENTIA EJUS EX-
SEQUUTRICE;

Quam,

D. A.

*Sub praesidio*MATTHIÆ MARTINII, IN ILLU-
STRI NASSOVICA-SIGENENSI
schola Professoris, examinan-
dam proponit,

Ad diem Junii,

JOHANNES PHILEMON Lovosice-
nus Bohemus.HERBORNE NASSOVIORVM
Ex officina Christophori Corvini.

ANNO 1607.

ILLUSTRI ET GENE-
ROSO

DOMINO, DN. JAROSLAO SMIRZICIO, LI-
BERO BARONI à SMIRZICZ &c. Domino suo
summè colendo & observando:

NEC NON

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO, D. VEN-
CESLAO SEN. MRAZ à MILESSOVKA, Recipub.
Litomericensis Senatori dignissimo, Evergetæ suo
honorando:

SICUT ET

CLARISSIMO ET Doctissimo viro, D. CA-
SPARI DORNAVIO VARISCO, MEDICINÆ
D. fautori suo & quondam Præceptorî multis nomini-
bus observando:

Hanc disputationem debita observantia & gratitudi-
nis ergo offert

JOHANNES PHILEMON.



DE VOLUNTATE ET POTENTIA EJUS EXSEQUUTRICE.

THESIS I.

Quod cognoscendi vi est prædictum, est extra omnem dubitationem nobilior eo, quod cognitionis est expers. Quod enim notitia desituitur, idem etiam jucundi sensu caret: quod autem jucundi sensu caret, in illud nulla cadit felicitas.

II.

Cognoscendi facultate instructa sunt animalia, & que aliquid animalis natura habent ut zoophyta: itemque spiritus.

III.

In animalibus notitia est rudissima; quum quid ipsa sint, reflexo supra se actus non intelligant: spirituum autem notitia est omnium perfectissima, quia se & sua noscunt.

IV.

Sicut autem animalia cognoscunt sensu: ita spiritus intellectu: Et sicut cum notitia sensuum coheret appetitus sensuum: ita cum intellectu, appetitus rationalis, qui dicitur voluntas: & sicut appetitui sensuum ministrat corpore a potentia loco movens: ita in spiritibus est voluntati accommodata vis exsequutrix spiritualis. De voluntatis & potentia exsequutricis natura nunc disquiremus; eam definituri & divisuri.

V.

Voluntas est facultas libera, quâ spiritus potest velle bonum, non modò jucundum, sed etiam honestum: non modò singulare, sed etiam universale: & nolle malum contrarium.

VI.

Voluntas alias sumitur pro Cœlesti Æthere, id est facultate, quâ quis vult, alias pro Cœlesti Æter, id est actu volentis, alias pro Cœlesti Æterni, id est, eo, quod quis vult.

VII.

Voluntas dicitur facultas seu potentia, que qualitas est. Est enim voluntas accidens essentiale spiritualis creature. Quum tamen ad Deum respicimus, aliter est sentiendū, quia voluntas & essentia ejus re idem sunt, & tantum nostro cōcipiendi modo distinguuntur. Ut intellectus cū sensu habet quasi commune genus, quod est potentia cognoscendi: ita voluntas cum sensu convenient in hoc, quod utrumque est potentia appetendi. Vulgo autem (ut id obiter explicemus) distinguuntur appetitus in innatum

& elicitum. Innatus impropriè sic dicitur, qui est propensio naturalis ad aliquid bonum, & quidem, si de potentia agendi loquaris, ipsa naturalis vis operandi; si de potentia patiendi, naturalis capacitas & proportio cum sua perfectione. Et sic appetere, tantum est habere innatam propensionem, quem habet gravitas ad centrum. Elicitivus dicitur propriè appetitus, quia fertur in bonum ut bonum, illudq; per proprium actum potest appetere: unde hic distinguuntur, appetentia ut facultas, & appetitio ipsa ut actus. Illa dicitur appetitus elicitivus; hæc, elicitus. Appetitus elicitivus distinguitur in appetitum intellectus & sensus. Et si vero appetitus elicitivus etiam natura sit: quia tamen potest elicere appetitionem, qua fertur actu in bonum, atq; ita maximè propriè est appetitus; ideo distinguitur ab innato.

V III.

Voluntas non est nisi in spirituali substantia, ut Deo, Angelis, & animabus rationalibus. Ubi enim non habet locum notitia universalis, itemq; honesti, ibi nec appetitus eorundem. At non nisi in spiritibus est vis cognoscendi universale & honestum. Et sole res spirituales habent actiones suas in potestate.

IX.

Voluntas suâ naturâ est libera, ita ut libertas ab ea abesse nullo modo possit. Et libertas propriè atq; (ut loquuntur) formaliter soli convenit voluntati; in intellectu tamen radix ejus est: quum naturâ ita comparatum sit, ut potentia appetendi sequatur potentiam cognoscendi. Libertas autem illa opponitur coactioni; itemq; determinationi ad certos effectus edendos. Sic liberâ voluntate Deus creasse dicitur mundum, quia nulla necessitate naturæ sue id fecit; & secus agere poterat, quam egit; et si non potuerit ob naturæ præstantiam summam, nisi de opere πονῶς. Sic nos jam haec scribimus nullâ necessitate vel naturæ vel violentia adacti: &, licet voluntate naturâ velimus, ea tamen non est in se definita, ut hoc potius nunc velimus, quam aliud; sed indifferens est ad contrarios actus: ut adscribendum & non scribendum, sed quiescendum. Libertas voluntatis in indifferentia ad exercitium actus dicitur, secundum quam potest elicere vel non elicere τὴν Εὐλογίαν: libertas ad specificationem, qua potest velle vel nolle hujus vel illius speciei actum; unde hic dicitur vel bonus vel malus moraliter. Observa etiam hic, quod libera actio dicatur duplicer: nempe vel ut elicta, seu proximè in ordine ad immediatum suum principium, potentiam videlicet, qua actionem producit, ut liberum est velle; vel ut actus imperatus, sive remotè in ordine ad potentiam, qua movere seu applicat inferiorem facultatem ad agendum, ut liberum est ambulare. Libertatem tamen suam voluntas magis demonstrat in electione mediorum, quam finis: & mediorum cum primitis respectu voluntas appellatur liberum arbitrium..

X. Non

X.

Non igitur dicitur voluntas libera, quod consultet. Hoc enim est intellectus, idq; in rebus, que aliter atq; aliter se habere queunt. Voluntas autem intellectus de-liberationem sequitur. Et hinc eæ actiones dicuntur libere, que à voluntate, intel-lectus præiam notitiam & judicium sequente, eliciuntur.

XI.

Objectum voluntatis est πάντα βέλη, quod ab intellectu ei proponitur: sive illud sit universale, sive singulare, quod rationem boni haber. Appetitus sensuum tantum percipit singulare, non universale; & jucundum corporeum, non spirituale; at de honesto nihil.

XII.

Vt autem intellectus necessariò intelligit veritatem primorum principiorum: ita voluntas necessariò appetit summum bonum seu felicitatem.

XIII.

Voluntate possumus velle & nolle; qui sunt ejus actus, seu operationes:

XIV.

Velle est amare seu appetere aut eligere: nolle est odire seu aversari aut negli-gere: Impedire velle, est nolle permittere seu nolle finere, ut aliquid fiat: permettere est velle finere, ut aliquid fiat. Illas voces ob distinctas res de quibus agemus, docen-di causa hic lubet discriminare.

XV.

Appetitio est actus, qui finem respicit & appetit.

XVI.

Electio seu ἀρχή, est actus, qui media ad finem seu bonum appetitum consequendum destinat & ordinat.

XVII.

Aversatio est declinatio eorum, que vel noxia, vel in honesta, vel injuncta judicantur.

XVIII.

Neglectio est prateritio mediorum, que ad malum; quod quis aversatur, fa-ciunt.

XIX.

Bonum, quod quis voluntate velle potest, est virtutis & conditionis, seu sanctitas & felicitas.

XX.

Sanctitas, que in voluntatem omnem cadit est veritas & boni-tas.

XXI.

Veracitas est sanctitas, quā quis propendet ad verum: à falsitate seu mendaciis omnibus alienus.

XXII.

Bonitas est sanctitas, qua quis propendet ad bonum: & malitiam odio habet.

XXIII.

Felicitas est status *seu conditio* gaudii & gloriae competentis.

XXIV.

Hæc de voluntatis definitione: distributio sequitur.

XXV.

Est autem voluntas vel in creata, ut Dei: vel creata, ut Angelorum & hominum.

XXVI.

Voluntas Dei, est quidem illa liberrima: qua tamen absolutè necessariò vult seipsum, & qua absolutè necessariò verax est & bonus: & qua liberè velle potest alia extra se, intellige tamen semper θεοτροπias, & convenienter naturæ sue optime.

XXVII.

Voluntas de Deo propriè dicitur, quia voluntas in Deo est velut perfectissima quies sine ullo turbationis motu: & Deus est ens perfectissimum.

XXVIII.

Voluntas in creaturis est aliquid distinctum ab essentia: at voluntas Dei in ipso ad ipsum considerata est Deus ipse.

XXIX.

Dicitur Deus ens summè necessarium, consideratus in se absoluē, citra respectum ad aliud objectum extra se; quia nullam habet causam supradicā quā pendeat & cui subfit. Quare voluntas divina aliunde non determinatur. Et hinc solus propriè dicitur ἀλεξανδρικός, liberrimus.

XXX.

Deus liberè velle dicitur potius, quam contingenter: quia contingentia mutabilitatem innuit. Si tamen legas apud scholasticos effectus Dei externos contingentes dici, id intellige fieri propter solam causam indifferen- tiā.

XXXI.

Nulla causa est voluntatis divina, si nempe facultas τῆς βέλεσθαι
et βέλην-

XLV.

Nihil est ita liberum, sicut Deus, quia solus Deus est ens aliunde non dependens.

XLVI.

Voluntas creatæ ex volente potest fieri nolens, & contraria: prout nempe rationibus ex intellectu consilio petitis inducitur. Et quamvis cogi nequeat: tamen suadendo aliò atq; aliò quasi electi potest.

XLVII.

Virtus creatæ voluntati inest contingenter: esse tamen debet verax, in Deo confidere & humilis esse erga ipsum. Quæ si adsint creaturæ intelligenti, est beata, intellectu quiescens in suavissima Dei, ut in ipsam benigni, contemplatione. Contingenter dicimus illa inesse voluntati create. Possunt enim angeli etiam, pulsis virtutibus, vitio esse obnoxii, atq; ita infelicitati.

XLVIII.

Est quidem intellectus creatus à Deo conditus sapiens & prudens, omninoq; sanus ad dijudicandum inter verum & falsum, bonum & malum: & sic voluntas verax & bona; non tamen citra mutabilitatem, quæ est necessariò per se in omni dependente ente.

XLIX.

Et requirit hoc iure suo Deus, ut, quas dotes acceperant Angeli & homines in creatione, eas rectè collocent, & debit is erga Deum obsequiæ exercent.

L.

Veraces itaq; esse debent creaturæ intelligentes, ita nempe, ut in omnibus rebus ament veritatem, & Deum supra omnia, ut ens verissimum: utque ab omni mendacio sint alienissimæ.

LI.

Bonæ esse debent, ut in omnibus ament bonitatem: & Deum supra omnia, ut optimum ens: utq; ab omni malitia sint remotæ. Quare justum est, ut, quum Deum se habeant superiorem, illi se humiliiter submittant: quum sint mutabiles, non in scipis, sed in Deo fiduciam collocent, ideoque ipsi de bonis concessis gratias agant, & cum pro ipsorum conservatione & salute invocent.

LII.

Felicitas intelligentium creaturarum posita est in ista intellectus in quiete seu quiete, quum contemplantur Deum, ut faventem ipsis, & ut gaudii gloriaq; ipsarum perennem scaturiginem.

LII.

Ex dictis facile est colligere, quibus vitiis voluntas spirituum creatorum possit inquinari, nempe mendacio, dissidentia de Deo & superbia: & qua in illis miseria locum habeat, nempe dolor & ignominia: quodq[ue] præcipua illorum infelicitas sit in illa intellectus ratiōne inquietudine, quum Deum, ab ipsis offendit, contemplatur ut insensum, qui justo iudicio ipsos gaudii & gloriae communione privet.

LIV.

Hæc de voluntate creata in genere: in specie voluntas creata est angelica & humana.

LV.

Angelica voluntas est, quæ Angelus vult, suo peculiari modo.

LVI.

Per se enim non extendit ea se ad corporalia, sed tantum ad spiritualia. Quæ propter etiam solum virtutes, quæ ad spiritualia respectum habent, in Angelos cadunt, ut sunt veracitas, humilitas, fides in Deo creatore & conservatore: & non nisi spiritualem felicitatem appetunt.

LVII.

Boni angelij jam in virtute & felicitate confirmati sunt: mali autem à Deo defecerunt, & obstinati sunt in peccatis, & desperati in miseria.

LVIII.

Humana voluntas est, qua vult homo humano more.

LIX.

Ea autem se extendit non modo ad spiritualia, sed & ad corporalia. Quare in homines cadunt etiam virtutes, quæ ad corporalia spectant, ut appetitus sensuum ordinetur circa objecta nutritionis & generationis: videlicet & temperanza seu frugalitas & castitas. Est enim voluntatis, appetitum sensuum moderari, ne quid desideret contra rationem, aut ne desiderata perperam persequatur. Et, quia in civili societate hic vivimus, requiritur communicatio ad aliorum etiam virtutem & felicitatem conservandam, propagandam & augendam: Sic & homines voluntate appetunt felicitatem corporalem, quæ est posita in corporis sanitate & rerum ad illud nutriendum ac sovendum necessiarum sufficientia.

LX.

Quum tamen anima à corpore abiit, illa corporalia non appetit, vivens vitam similem angelicæ: interim tamen ad unionem cum corpore naturali desiderio propendet.

LXI. Quia

LXI.

Quia autem in homine confusa res videntur appetitus sensuum & voluntas, distinguamus eas. Differunt autem hoc modo: 1. Voluntas (qua est appetitus intellectus, rationis dictum sequitur: appetitus sensuum imaginationem seu phantasiam. 2. Voluntatis actiones sunt libere, & suspendi vel impediri possunt: contra actiones appetitus sensuum, eis quandum speciem libertatis pra se ferunt, tamen revera libera, non sunt, sed caco quodam impetu & subito procedunt, nec in nostra potestate est eos suspendere. 3. Voluntas est in substantia, materia experte, & reciprocari supra se converti potest. Ut enim intellectionem nostram intelligere est nobilitas mentis: sic voluntatis, τὴν βέλτιον βέλτων. Appetitus autem sensuum est in substantia corporea, & supra se converti non potest. 4. Voluntas appetit non tantum singularia, sed etiam universalia, item non tantum concreta cum materia, sed etiam abiecta ab ea: appetitus autem sensuum tantum singularia & materia.

LXII.

Quomodo autem voluntas dictum rationis sequi dicitur, quum saepe materia amplectatur & salutaria declinet? Resp. Voluntas hoc amplectitur, quod ipsi ab intellectu proponitur. Ut autem contingit errare intellectum in affirmando & negando, probando & improbando: ita voluntas errorem istum sequitur, amans odio digna, & odio habens amanda.

LXIII.

Hoc autem fit ex consensu, qui est inter appetitum sensuum & intellectus, dum nimur vehemens illius affectio interdum mentis arcem occupat, efficitque ut intellectus amplectendum esse judicet, quod ipsi appetitui gratum jucundum est.

LXIV.

In actionibus prudentum, quatuor illa ad voluntatem in actum educendam concurrunt: nimur notitia apprehendens, judicium quores apprehensa judicatur, judicium practicum, & syllogismus practicus: sed tamen ut voluntas operetur, non opus est simpliciter pratico syllogismo evidente, ut patet in subitis & repentinis motibus, quos appellant primis primos.

LXV..

Vulgus inter voluntatem & concupiscentiam nullum facit discriminem. Differunt autem objecto. Concupiscentia enim est appetitus, qui versatur circa bonum corporis: & a voluntate regitur ac gubernatur. Unde colligitur, concupiscentiam per se

*non esse malam, quum sit actio fluens à naturali potentia, quam Deus indidit, sed
quatenus fertur in objectum in honestum: & quatenus non servat modum, quem recta
ratio prescribit.*

LXVI.

Hactenus de voluntate: reliquum est, ut etiam breviter de agendi
potentia agamus.

LXVII.

Potentia agendi spiritualis est vis illa, quâ spiritus aliquid extra se
expedire vel impedire potest: ideoque voluntatis imperio necessariò
obsequitur. Imperium tradi solet duplex quum de rebus humanis agitur, nempe
de mortali seu herile, & de mortali seu civile vel regium. Illud dicitur, cui paretur
necessariò sine potentia resistendi: hoc verò contraria, cui obsecundatur liberè. Sic in loco-
motricem potentiam voluntas obtinere dicitur imperium herile; in appetitum sen-
suum civile: in facultatem vegetantem nihil habet imperii.

LXVIII.

Potentia agendi est vel increata, vel creata.

LXIX.

Potentia increata est Dei: & ea est infinita, unoqué nomine dici-
tur omnipotentia.

LXX.

Potentia patiendi de Deo prorsus negatur, quia Deus est Ens perfectissimum &
simplicissimum, nulli mutationi obnoxium. Agendi autem potentia verè Deo adscri-
bitur, quia ea est perfectio.

LXXI.

Objectum potentiae divinae est omne id, quod ipius naturae consentaneum est,
& cum ea nullo modo pugnat. Nec enim velle vel facere potest, qua veritati &
bonitati ipsius sunt contraria. Ita potest quicquid vult, & quicquid velle potest.

LXXII.

Quum dicimus, Deum posse velle, vel non velle, non intelligimus h̄c potenti-
am agendi, sed indifferentiam actus, ut ad hoc potius, quam ad aliud objectum ter-
minetur.

LXXIII.

Potentia Dei distingui solet in absolutam & ordinariam. Absoluta dicitur
potentia Dei secundum se, sine ulla alia suppositione vel determinatione voluntatis,
& sine ullo respectu ad naturas rerum vel alias causas. Potentia ordinaria dicitur
dupliciter: 1. Quatenus adjunctam habet scientiam & voluntatem, qua Deus de-
crevit

crevit hos effectus & non alios edere. Deinde alio significatu dicitur potentia ordinaria, prout operatur secundum communes leges & causas, quas in universo statuit. Secundum potentiam ordinariam primo modo dictam, ea tantum dicitur Deus posse facere, quae aliquando facturus est, secundum posteriorem multa potest facere, quae nunquam facit.

LXXIV.

Non quacunq; hominibus sunt impossibilia, debent dici Deo possibilia, ut quae implicant contradictionem, velut esse effectum sine causa, accidens sine subiecto. Quae arguant infirmitatem & defectum quandam, in Deo non possunt locum habere.

LXXV.

Nostras actiones et si Deus sua virtute promovet: tamen in seipso eas efficere non potest.

LXXVI.

Hæc de potentia increata: potentia creata spiritualis est in Angelis & anima rationali: utraq; suis certis limitibus finita: & non nisi per contactum aliquem operari potest.

LXXVII.

Nulli finitæ essentiae convenit infinita potentia.

LXXVIII.

Angelica potentia talis est, ut objecta corporea ei non possint obfistere: idcoq; etiā celerrimè potest Angelus ē loco in locum se movere.

LXXIX.

Angelus, ut corpus immediatè moveat, inò & alium spiritum, intimam cum eis propinquitatem requirit.

LXXX.

Angelus movere per intellectum & voluntatem non ut proximè elicentes motum, sed dirigendo & applicando potentiam ex sequentem, quam oportet esse conjunctionem objecto patienti seu mobili.

LXXXI.

Quum autem tactus sit duplex, quantitatis scilicet & virtutis: Prior tactus sola corpora se contingunt: posteriori etiam ea, quae sunt corporis expertia. Sic angelus bonus malum impetu impresso in aliquem locum impellit.

LXXXII.

Angeli nulli corpori & loco ita sunt affixi, ut non possint per motum ab illis discedere.

LXXXIII.

Angelus superior movere posse dicitur inferiorem, etiam ipso renuente: inferior vero superiorum tum demum, si ipse velit. Sic fert scholasticorum opinio. Nos quum

bic nec in scriptura nec ratione fundamentum illius videamus: illud in medio relin-
quimus.

LXXXIV.

Angeli possent universitatis ordinem subvertere: sed tamen divinâ voluntate
ita continetur eorum potentia, ut contra eam nihil valeant efficere.

LXXXV.

Potentia agendi in anima rationali est, quâ illa movet corpus, & per
corpus alia corpora. Ea, dum anima est in corpore, corporeis organis ad
operandum utitur.

LXXXVI.

Anima separata potentiam habet non solum se, sed etiam alias res
externas minimè substantialiter sibi junctas, movendi. Ad quem mo-
tum, localis unio ejus cum re movenda sufficit.

LXXXVII.

Potentia motrix in anima separata non alia ratione actum suum exercere po-
test, quam productâ prius in re mobili impulsoriâ qualitate, tanquam necessario in-
strumento.

AD JOHANNEM PHILEMONEM.

M^unera sunt animæ, ratio & conjuncta voluntas.

Objetum illa videt: hæc cupit aut renuit.

Junxerat hos actus concordia mutua primum,

Cum nondum vitiis mens temerata fuit,

Sed nunc per lapsum, collapsus congruus ordo est.

Deviat à licitis actus uterque modis.

Fallitur & ratio: & rationis justa cupido

Excudit. Et discors mens sua beila gerit.

Noscenda est igitur, magè sed reprimenda voluntas,

Expediat recta quo rationis opus.

Quod facis utrumque hoc, laudo te, docte Philemon.

Ut bene perficias, hortor, & oro Deum.

Johannes Bisterfeldius rogatus apposuit.

GEORGII PASORIS

AD D.N. RESP. EPIGRAMMA.

M^ulle voluntatis naturam nosse laborant;

At vix est unus qui moderetur eam.

Scire volunt omnes, sed recte vivere nemo.

Ab utinam sciret turba misella nihil!

Plurima

ad in mea
divina volum
corpus, &
eis organica
tiam alias
d quem mo
exercere,
necessario.
exercere
2693
Platina

Plurima scire stocet, vana estque scientia, summum:
Ni semper timeas, ni vereare D e u m.
Sis humilis, reliquis nec te præponere gesli:
Sicq; voluntatem mens bene-sana regat.
Mens est sana, D e u m scelerum quæ respicit acrem:
Ultorem, hunc verè diligit atq; timeret.
Quare te meritâ cumulamus laude Philemon;
Scire cupis, recte vivere sed magè vis.
Prodiga luxuries tibi sordet, teq; labores
Affidui & pietas exhilarate solet.

AD ORNATISSIMUM DOCTRINA E

pietate juvenem, JOHANNEM PHILEMONEM, Amicum suum ut ves-
terem, ita charum, de voluntate & potentia increata, creataque.

Theses ad disputationem proponentem.

Felix, qui potis est rerum cognoscere causas:
Divitias, Croci solium, Cyrique Tiaras
Non cupid, aut juvenis Pellæi exoptat honores:
Non nitidos inhibat pietâ testudine postes,
Gemmisque illusas vestes, Atabalipæ & aurum.
Illum non populi fasces, non purpura regum,
Non res Hesperiæ, perituraq; regna, decusq;
Electet, & à stadio latebrosa per avia ducet.
Sed tamen hoc commune ipsi cum Socrate, & illo,
Nomina qui Justi vita probitate paravit;
Et cum Fabriciis, Curiisque, graviisque Catone.
At quicunque D e u m, majestatemque verendam
Atque voluntatem illius cognoscit, & alto
(Quid velit, & possit: quid ab omnibus usque requirat:
Quis pietas, quis est cordi divina voluntas.)
Secum animo, trutinæ pensans examine, volvit:
Et se nosse cupid, totumq; explorat ad unguem:
Quidque agat, & possit: quid debeat: & quid omittat:
Ad mala quod multò sit quam bona proniort: æquus
Ipse sui judex, acri se se increpat ore:
Quid volui, satius quod non tetigisse fuisset?
Cur pravum antetuli recto? cur urile honesto?
Cur me, cur natura heu! depravata magis, quam
Gratia dia trahit: sic dicta & facta per omnia
Ingrediens, se se rigidus east/gat: & instat:
Hora sequens lucis quod emender damna prioris,
Et ne quid vel hiet, vel quid protuberet: æquis
Ut coenâ cuncta & spaciis: nihil ut proba prosum:
Deliret deinceps sanæ rationis amulfiis:

Attentam mentemq; oculosq; advertit acutos,
Arbitriumq; suum ad nutus componit lovæ:
Qui mare, qui terras, qui cælum numine torquet:
Næ fortunatus verè ter & amplius ille est!
Civibus immò Dei, superisq; simillimus ipsi.
Hæc tu cùm scitè enodans, proponis, Amice,
Discutienda acri solertis acumine mentis:
Laudo conatus: studium probo: & horrort, eâdem
Dehinc quoq; curâ ornes fecundos pectoris hortus.
Improbis assiduo nisu Labor omnia vincit.
Sic quæ nunc humilis prodit tibi planta, brevi ingens
Ad cælum tendet ramis felicibus arbor.

Johannes Filiczki Hungarus Scepusius.

AD

PIUM E T E R U D I T U M JU VEN E M D. JOHAN.

PHILEMON E M , fratrem ac amicum suum quamplurimum dilectum,


JOHANNES VETTERUS LEUCOPOLITES

Moravus.

Sunt homines multi, quibus hæc sapientia sordet,
Ut cernant quales condidit ipse Deus.
Scilicet à brutis multum differre recusant;
His similes vitæ & moribus esse solent.
Sunt homines alii, qui ornatus mentis amenos
Norunt, & quibus hæc cognita verba Dei:
Sancti estote homines, quoniam sum sanctus IOV A,
Et quoniam vitæ præmia trado piæ.
Non tamen assidue vitam traducere talem
Conantur, potius pocula plena placent.
JANE, tuum nomen, laus haud mortitura manebit:
Namq; voluntatis propria quæq; doces,
Cujus & in vita præbes documenta, pudendis
Te finis haud vitiis luxuriâq; trahi.
In pietate tuâ quod si perrexeris, inde
Te manet æternus JANE PHILEMON, honos.

F. s. Maji, Anno 1607.

F I N I S.



que scientia, summum
 are D a u M.
 aponere gesli:
 ene-sana regat.
 um qua recipit acrem
 atq; timet.
 laude Philemon;
 d magè vis.
 tec; labores
 re solet.

M DOCTRINA ET

LEMONEM, Amicum suum ut ve-
 br potentia increata, creataque
 um proponentem.

cognoscere causas:
 Cyrique Tiaras
 i exoptat honores:
 studine postes,
 tabalipæ & aurum.
 non purpura regum,
 ; regna, decusq;
 peravia ducet.
 e ipsi cum Socrate, & illo,
 itate paravit;
 , gravique Catone.
 majestatemque verendam
 gnoscit, & alto
 b omnibus usque requirat:
 i divina voluntas.
 ans examine, volvit:
 xplorat ad unguem:
 d debeat: & quid omittat:
 am bona prionior: æquus
 epat ore:
 n tetigisse fuisset?
 cur utile honesto?
 oravata magis, quam
 facta per omnia
 gati: & instat:
 ender damna prioris,
 d protuberet: & quis
 : nihil ut proba prosum
 onis amulfiis: